



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Tractatus Juridicus Ad Librum III. Decretalium Gregorii IX.
Clericorum in communi, nec non Prælatorum, ac
Capitulorum in specie obligationes, & jura complectens**

Scharz, Oddo

Salisburgi, 1738

§. I. Quid sit vacatio Beneficii? Et quotupliciter eam induci contingat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63800)

§. I.

Quid sit vacatio Beneficii? Et quotupliciter eam induci contingat?

S U M M A R I A.

1. *Quando beneficium vacare dicatur?* 2. *Beneficium potest vacare vel de jure tantum, vel de facto tantum, vel utroque simul.*

1 **V**acare Beneficium dicitur, quando nemo apparet, ad quem Beneficium vel Titulo proprietatis, vel jure Possessionis pertineat. Sic vacare dicitur mulier in l. 5. §. 2. ff. ad Leg. Jul. de vi publ. quæ est vidua, si ve, quæ caret marito, & domus vacua dicitur, in l. 22. §. 1. ff. de usu & habit. quæ caret Possessore. P. Wiestner h. t. num. 1.

2 Vacatio Beneficii (secus ac pensio, quæ morte Pensionarii penitus extinguitur) tribus modis inducitur. I. De facto tantum, cum nimirum possessio amittitur, non autem Titulus. Sic, si Beneficiatus vi, aut metu à possessione sui Beneficii dejiciatur, aut resignare cogatur, cap. 2. §. 7. de restit. spoliat. vel cum actualem ejus possessionem nondum habet Clericus, cui Beneficium est collatum. Arg. cap. 17. de Præbend. in 6. de facto tantum vacare dicitur, quia, etsi tunc nemo in possessione Beneficii existat, Beneficiatus tamen jus, & Titulum ad Beneficium adhuc retinet. II. Vacare dicitur Beneficium de jure tantum, quando Beneficiatus ipsum beneficium quidem detinet, sed sine ju-

re, & Titulo, fortè, quòd conferens jus conferendi non habuit, aut, quòd detinens jus, & titulum Beneficii amisit. Quod quandoque fit per sententiam judicis, v. g. si in pœnam neglectæ residentiaæ beneficio privetur cap. 6. §. 10. de Cleric. non resid. quandoque ex dispositione juris, ut si decernat beneficium ipso facto vacare, v. g. quod beneficiatus matrimonium contraxerit. cap. 1. §. 3. de Cleric. Conjug. aut Religionem approbatam professus sit. cap. 4. de Regul. in 6. aut beneficium incompatible affecutus sit. cap. 28. de Præbend. de quibus, aliisque modis beneficiorum vacationem ipso jure inducentibus videri potest Barbosa J. E. U. lib. 3. c. 14. cum aliis ibidem relatis. III. Vacare beneficium de jure, & facto simul contingit, quando apud aliquem nec jus sive titulus, nec possessio existit, ut si Beneficiatus moriatur. cap. 6. de Rescript. in 6. quia mors omnia solvit, adeò quidem, ut si mortuus miraculosè resuscitaretur, jus, quod in beneficio antecederet habuit, cum ipso nequiquam revivisceret. Barbof. loc. cit.

num. 2.

§. I. (o)

§. II.